



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici  
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||  
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam  
Decani**

**Krantz, Albert**

**Coloniae, 1574**

Capvt XXXVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11453**

in festiuitate diui Nicolai, cui erat deuotissimus, vocem fertur angelicam audiuisse.

## CAPVT XXXVII.

**G**rauis deinde Holsatis rex imminebat: oppugnare constituens Alzen terram maritimam ducatus Slesuicensis, non longinquam Holsatiae. Inerat, ut est hodie, multa manus militaris: Tuebantur quoad potuere: vota quoque in Deum & sanctos conceperunt, ut vim hostilem, desuper adiuti, vel superarent, vel sustinerent. Lubicenses satis initio pro rege stabant, denunciante militibus Holsatiae, ut quoniam rex iure ageret, à iustitia illis quoque discedere non licere: Omnes illi ciuitates subscripsere Hansæ. Responsum accepere: Duces tenere & tueri paternam ditionem, à qua viui non discederent: lus esse, in feudum succedere patri filios: id se pro dominis suis, ut tenerentur, tuturos. Illa tum contradictione disceditur: & ceteræ quidem & vandalia ciuitates, regi cum Lubicensibus inhaerebant in causa primordio intantum, ut Luneburgenses publicè interdicerent, nè quis ciuium suorum Holsatis quouis pacto obsequeretur, vel minima in re. Ea enim specie prætenfa iustitiæ, multos rex in fide continebat: quod personalem Gerhardi, non legitimam succedentis feudi fuisse permissionem diceret. Thietmarsi ea re inflexi in partem regis videbantur: nam ex maioribus terræ quosdam euocatos, muneribus datis, in suas partes rex inclinauit, alteri vestem, aurum alteri, & vni primariorum præpetem nauim cum remigijs expeditam. (Snicken vocant) Duces verò huius gentis auersos animos non leue duxerunt: sed immisso ex suis in terram viro prudente, & qui nosset, quibus quid loqueretur: hic in duces, ca-

ptato inter populares sermone, vicissim tentauit re-  
 clinare. Scripsere enim Thietmarsi ducibus, Quia rex  
 causam suam in manus quoque nostras constituit, pas-  
 sus iustitiam vel à quouis accipere, & idcirco deesse non  
 possumus iustitiam fouenti & poscenti. Sed orator du-  
 cum, illis se primùm coniunxit, quos sciebat à regene-  
 dùm muneratos, satis a quos Holsatis. Ostendit iustiti-  
 am partis suae, orans, nè contra iustitiam inscij labora-  
 rent: Cognitam esse feudi iustam successorem, pro qua  
 duces nihil vltra querentes contenderent. Obicitur illi  
 in frontem, iustitiam magis stare pro rege. Si, inquit,  
 iumentum tibi in diem commendauero, num reddere  
 voles expleto tempore? Ille rationem reddidit obiectan-  
 tibus, non hoc esse commendare, quod feudum permitte-  
 re: Nam feudum omnium gentium vnanimi consensu  
 ad filios pertinere post patrem, modò id legitime postu-  
 letur à domino, nec subsint amittendi causa grauiores:  
 Paratos esse duces, nullis in regem criminibus obnoxios,  
 nec paternam luentes culpam, à rege feudum humili-  
 ter postulare. Tum illi replicatur à promptioribus: Rex  
 est, inquit, paratus iustitiam suam in manus nostras  
 ponere, quomodò ergò illi aduersabimur? Tum ille:  
 Idem, inquit, duces polliceor facturos. Thietmarsi vbi  
 audiuerè, æquiore sumpsere animum in duces. Ille  
 reuersus ad dominos suos, effecit, vt literis ad gentem  
 missis, testarentur apud quenuis, & deindè Thietmar-  
 sos, iustitiam suae partis collocaturos. Eas cum accipe-  
 rent Thietmarsi, exemplar eorum regi mittentes, osten-  
 dunt ducibus se non posse aduersari, qui omne ius suum  
 ipsis, vt cerneret, permetterent. Ità tum Thietmarsi,  
 qui inclinationem rerum facturi viderentur, in fide du-  
 cum remansere.